



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Antonii Sucquet E Societate Iesv Via Vitæ Æternæ

Sucquet, Antoine

Antverpiae, 1630

Cap. 46. de gaudio ex virtute

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54856](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54856)

CAPVT XLVI.

*De Octavo remedio Meditationem atque affectus
ejus ampliandi, sive de Gaudio, ob quod virtu-
tem sequi oporteat.*

COMPOSITIO LOCI ut in imagine, ORATIO ut
suprà.

PVNCTVM I. Considera Dominum pro suâ erga
homines benignitate ita ordinasse, ut traherentur vo-
luptate ad operandum: atqui si corporalis voluptas
hanc vim habet, multo magis spiritualis, id est ea quæ
ex virtute promanant. Si ergo voluptate à virtute ab-
straheris (unusquisque enim tentatur & avocatur ab ea
abstractus & illectus) vide quanto major ac melior,
eaque sancta & vera, ex virtute quàm caducis istis hu-
jus mundi deliciis, voluptas emanet. Primò, quia ista
fœda & turpis & falsa est. Aded ut Aristoteles dicat,
delectationes corporis fœdas ac turpes, non esse veras
delectationes: quoniam non tales videntur, nisi iis qui
malè sunt affecti; sicut, ait, pueri sua crepundia æstimât,
quæ viri contemnunt: fœdæ autem aded sunt, ut olim
etiâ Philosophi ac Poëtæ homines in belluas ac feras
mutari sinxerint, qui amoribus Circes capti essent. Ne-
que incommodè. Nõnne enim videmus superbum,
instar pavi ambulare? luxuriosum instar capræ lascivi-
re? gulosum velut porcum in ventrem & cibum pro-
num ferri? Neque quisquam est honestior, qui affectus
ejusmodi præ verecundia non dissimulet. Vide igitur
quàm in se turpia illa sint gaudia, & vilia. Consolatio
enim verè, uti Bernard. mundi vilis est, & ad nihilum
utilis, & quod magis metuendum, est veræ & salubris
delectationis impedimentum. Equidem quid insanè
appetit gulosus, ob quod maria trajiciuntur, animæ in-
tereunt, cælestis hereditas deperditur, ut Esaui primo-
genitura; Religiosi etjam periclitantur? scilicet fructum
carnis, bolus unus, atque alter dulcior, & eo carior
quo

*Gaudium
ex virtute.*

*Arist. 10.
Ethic. 3.*

*Voluptas
peccati fœ-
da.*

*Serm. 4. in
vigil. Nati-
vit.*

quo rarior. Secundò, vide quantâ molestiâ, quàm longâ ac difficili viâ quærat, ut verè his applicet illa Iob Gregorius: Qui inter eiusmodi lætantur, quasi sub sentibus delicias reputant. neque enim, ait, sine gravibus curarum molestiis possunt temporalia, quæ appetunt, vel non habita quærere, vel quæsitâ servare, inter æquales præstantiorem gloriam appetere, semper prava agere: & tamen, ne opinionem pravitatis habeant, formidolosè custodire. Hebræis iis similes sunt, quibus manna non sapiebat propter ollas carniû, porros, & allia Egypti. Quid enim signatur per ollas carniû, nisi carnalia vitæ opera, in tribulationis doloribus, quasi ignibus excoquenda? quid per pepones nisi terrenæ dulcedines? quid per porros & cepas exprimitur) quæ plerumque qui comedunt lacrymas emittunt) nisi difficultates vitæ præsentis, quæ à dilectoribus suis & non sine luctu agitur, & tamen cum lachrymis amatur? Tertio, attende, quòd hoc genus bonorum non tam bona sint, quàm minora mala: iisque nihil agi aliud, quàm ut graviores compedes in leviores mutemus. Fames urget? suave est comedere. satur es? gravius est edere, quàm esurire. Itaque nulla delectatio liquida, aut pura, sed permixta multis amaritudinibus. Denique ea conditio est delectationum sensualium, quòd dum habentur, fastidiuntur; dum non habentur, desiderio torquent: spiritualium verò & appetitus placet, & experientia magis. Igitur sic ratiocinare: Si desiderium torquet terrenorum, multo magis præsentia; ac proinde ea abominare. quis enim hostem propinquum, & intra muros existentem propulsare poterit, si absentis timore totus concutiat? Quarto, attende idèd hominem verè recreari terrenis non posse, quia illius naturæ non conveniunt: sicut videmus alios cibos hominibus, alios belluis gratiores. Cùm igitur hæc infima tantum hominem oblectent, quantum cum belluis participat, corpusque & sensus habet, sequitur propriam

Greg. 10.
Moral. c. 6.
Voluptas
seculi amara.

Greg hom.
36. in Euãg.

Homo verè
recreari ter-
renis nequit.

propriam

propriam nobilioremque illi longè esse secundùm rationem delectationem, ac multò majorem.

Aspira, ut sup. pag. 8. Hæcine firmâ.

Animi delectatio præstantissima.

PUNCTVM II. Considera majores longè spiritus & virtutis esse delectationes, quàm corporis. Primò, quia spirituale bonum & objectum melius est & nobilius: unde oculo, quàm ratione carere malimus. Secundò, conjunctio major, quia sensus tantùm in accidentibus heret, & corporis delectationes perpetuò fluunt, mentis verò simul totæ sunt, ut res ipsæ, quas concipimus. Tertio, quia bona spiritualia manent, alia pereunt. Adverte autem sedulò objectum gaudij spiritualis præcipuum, illud verò Deus est. quid ergo mirum si amplexus ejus, quo ei jungimur summo bono, suavissimus jucundissimusque sit? Fit autem ille, quando jungitur anima Deo per veram virtutem, maximè per amorem, & contemplationem, in quâ etiam Aristoteles & Philosophi beatitudinem posuerunt.

Credo tibi, ut supra pag. 7. vel O gaudium, &c. ut inf. p. 624.

Attende jam quanta gaudia Sancti ex ea perciperint, ad eò ut ferre nequirent eorum magnitudinem, ut de B. Ephrem, B. Xaverio accepimus, cùm, Sat est Domine, sat est, exclamarent. Ratio autem, quare in Deo beatitudo, sola, vera & summa sit delectatio hominis, est, quia finis illius Deus est: quidquid autem finem suum attingit, beatitudinem suam consequitur. Primò, quia solus ille animam satiat, cætera omnia nullo pacto: non magis quàm si quis fumo aut vento se pascat. Comedent (inquit Oseas, de impiis loquens) & non saturabuntur. Sicut, ait Hieronimus, justitia saturat, sic iniquitas substantiam non habens vana comedentes fraude deludit, & uteros comedentium vacuos derelinquit. At Isaias somniantibus mundanos comparat, qui sibi comedere videntur, & expergefacti esuriunt, O quæ infelicitas, percuso dolio haurire debere frustra! aërem captare frustra! Ea est mundani insaniam,

ait

Cur anima in Deo lateat.

Osea 4. Hieron.

Mundi gaudia. Isaiæ 29.

ait Bernardus, ut quasi famelicus inflatis buccis aërem hauriat, eoque saturari speret, aut fumum sulphureum excipiat: non enim impletur. Sapiens verò: Avarus, inquit, non implebitur pecuniâ, & qui amat divitias, fructum non capiet ex eis: quod aliis omnibus vitiis commune est. Ecce nihil negaverat Salomon oculis suis, & vidit omnia esse vanitatem, & afflictionem animi. Contrà verò qui esuriunt & sitiunt justitiam, & hîc & in futuro saturabuntur. Tertiò, ut homini benè ac beatè sit, oportet, ut illud, per quod id ei obtingit, eo melius sit, ac invito auferri nequeat: quod virtus sola, & Deus est, cui per virtutem homo conjungitur. O quanta rerum in mundo vicissitudo & inconstantia! At verò virtus, & ejus opes, perpetuæ & inviolabiles Dei gratiâ sunt, & nostrâ cooperatione.

Hæcine vera, ut sup. pag. 7.

PUNCTVM III. Considera hominem omnem esse velut sitibundum, & mundanum per ambages longas & molestas quærere explere sitim, sed instar hydropici augere, & haurire quasi ex sulphureo aut falso lacu, quò concupiscentia invitat: justum autem ubique Deum habere præsentem, fontem bonorum omnium, immò regnum Dei intra nos esse. O quanta igitur indignitas atque insania, eum omnis boni fontem derelinquere! uti queritur per Ieremiam Dominus: *Me dereliquerunt, ait, fontem aquæ vivæ, & foderunt sibi cisternas, quæ continere non valent aquas. Sitivit verò anima mea ad Deum fontem vivum, quando veniam & apparebo, quando veniam & adimplebis me lætitiâ, cum vultu tuo? Secundò considera certissimum esse, si dimidium laboris & molestiæ cum gratiâ Dei, pro verâ virtute suscipias, ejus quæ pro mundo sustinetur, te beatum hîc verè æternùm futurum.*

Vide Bern. in sermone. Ecce nos relinquitur. Eccles. 5.

Eccles. 2.

Matth. 5. Gaudium è virtute volenti tantùm eripi potest.

Discrimen piæ & impiæ.

Ierem. 2.

Psal. 41.

Exercitium breuius.

O Gaudium nostrum Deus meus, credo tibi, & in te spero, & toto corde te diligo. Latabor & exultabo in te, omnia enim ossa mea dicunt mihi, Domine, quis similis tibi? hortaris nos per Psalterium tuum, dicens: Introite in conspectu eius in exultatione, scitote quoniam Dominus ipse est Deus; scio per gratiam tuam, & audio, Delectare in Domino, & dabit tibi petitiones cordis tui. Inuitas igitur ut verè de te gaudeam, & creatura spernam solatium, & promittis mihi dare petitiones meas, quæ verò iste: unam peti à te, Domine, hanc requiro, ut diligam te, & nihil me separet à te in æternum. Amen.

Exercitium longius.

Psalm. 41.

Cant. 1.

Applicatio
ad Com-
munionē.

Psalm. 62.

QUEM ADMODVM desiderat cervus ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te, Deus. sicut vivit anima mea ad Deum fontem vivum: quando veniam, & apparebo ante faciem tuam, Deus meus? Indica te mihi, quem diligit anima mea, ubi pascas, ubi cubes in meridie; ne vagari incipiam post greges sodalium tuorum. Votum vovi tibi, si dederò somnum oculis meis, & requiem temporibus meis, donec inveniam locum tibi, Domine JESU, & requiescas in tabernaculo cordis mei. Ecce in terrâ hâc desertâ, inviâ, & in aquosâ, ego ego quem nosti, infelix ego homo, felix tamen quia sto coram te hodie, appareo tibi, ut gustem quam suavis sis anima mea, ut videam virtutem & gloriam tuam. Obsecro te per magnam charitatem tuam, ne despicias exulem, & advenam, oviculam errantem, & ne abscondas faciem tuam à me, tu enim nihil odisti eorum quæ fecisti, & multò minùs quicquam eorum quæ sic refecisti. Quæ enim est expectatio mea? nõnne tu Domine mi, Salvator mi? quod est, eritq; in æternum solatium meum? nõnne tu Deus totius consolationis?

Absit hoc à me indignissimo filio, ut aliquid à te velim super terram, vel extra te, ut ambulem vias difficiles & pravas, ut delecter, & capiar creaturæ solatio, id est muscipula, & finem gaudii mei luctus occupet. Et quis ille? O utinam is, quo doleam quod te dereliquerim fontem aquæ vivæ, uti vehementissimè doleo, ex

amore

amore tui, quaeso, ne abscondas faciem tuam à me: quae enim est expectatio mea? nonne tu, Domine? non ultra ambulabo vias difficiles & pravas. Vbi enim sunt deliciae, propter quas lassati sumus? nonne fœda, turpes, & illiberales, ob quas, cum praeerita sunt, erubescimus? Verè, verè amarum est, amarum te derelinquere, dulcissime IESV. Tu enim dulcedo ineffabilis, totus desiderabilis. Vnde ergo mihi si derelinquam te dulcissime IESV. O insaniam filiorum Adam! Quid queritis, obsecro, cisternas, quae continere non valent aquas? Querite fontem aquae vivae, & bibite, & inebriamini ab uberibus consolationis eius.

Vide, Domine, afflictionem meam, vide, ô IESV; etenim si hic mihi, & omnibus praesens sis, ô oceane bonorum omnium, eheu! fugimus te sequentem, & querimus fœdas lacunas velut Sodoma lacum, & mortuum mare. Non satiat illud sitim, sed accendit; verum enim & solum hoc est gaudium quod de te sumitur, Deus meus. Quale gaudium? novit ille qui te novit, qui gustavit, quam suavis sis, Domine, his qui diligunt te, quid queris anima mea? delectare in Domino, & dabit tibi petitiones cordis tui. Bonum tuum quare: est enim bonum aliud alteri, & omnes creaturae habent quoddam bonum suum. pecori bonum est implere ventrem, carere indigentia, dormire, gessere, vivere, sanum esse, generare. Tale tu bonum quaris coheres Christi? quid gaudes? quia socius es pecorum? erige spem tuam ad bonum bonorum omnium. Tu enim, Deus meus, omne bonum es, & solus satiare animum potes: tu solum gaudium continuam iucunditate firmissimum, delectationes in dexteram tuam usque in finem. hoc est quod amo, cum te Deus meus, amo, omne bonum & perfectum, & permanens, & liquidum. Deliciae omnes aliae breves, sive ex honore, sive ex voluptate. vana enim omnia & caduca sunt & incerta. quis enim gloriari de favore mundi potest, qui momento fugit: incertus perpetuo est, blanditurque, ut Iob, & occultè occidit: leniter influit, & in fine mordet ut coluber?

Experiuntur filii huius seculi stimulos cogitationum, conscientiae morsus, quibus conditur aut potius extinguuntur. quid esse dulce potest absque te, ô dulcedo summa, felicitas nostra, & gaudium super omne gaudium. Melior, melior est dies una in

R t

arritio

August. in
Psal. 102.Quale de
Deo gau-
dium.

Bern. serm.
1. in fest.
omnium
Sanctorū.

Eccli. 31.

Pfal. 83.
Pfal. 72.
Pfal. 141.

Suspende
animum in
tentatione.

Voluptas uti
fit repellenda.

Mortificatio
necessaria &
suavis.

Sap. 7.
Matth. 19.
Centuplum
da. ut mor-
tifi. anti se.

atriis tuis super millia, meliores sunt micae quae cadunt de mensa Domini mei, delictis universae terrae. In te verò omnia habentes, propter quid, precor, te relinquemus? Miror in sole splendorem, in flore pulcritudinem, in pane saporem, in terra fecunditatem, sed à te Deo universa haec sunt: nec dubium quin multò amplius reservaveris tibi, quàm dederis creaturis creator mi. Taderet tamen fortè adspirare, si longa per desertum ad te & gaudium tuum foret via; sed ecce, si volo, amicus tuus esse iam possum per gratiam tuam, & latari coram te, & in mente securà iuge tibi parare convivium, gloriaq; & honore coronari. Videte, quaso, oculis vestris, aiebat Ecclesiasticus tuus, modicum laboravi, & inveni mihi multam requiem: accede ad eam, & sustine bonos fructus illius: in opere enim ipsius exiguum laborabis, & cito edes de generationibus ejus. Cupio igitur ex nunc, ex hoc momento, serid te, Domine JESV, sequi, & virtutem N. amplecti: si enim hoc fecero, ecce cor meum & caro mea exaltabunt in te Deum vivum: si non egero, tribulatio & angustia me manent. quid mihi ergo est in caelo, & à te quid cupio super terram? Tu es spes mea, portio mea, in terrà viventium. Amen.

Praxis ad gaudium è virtute captandum.

PRIMA. Cùm homo sese voluptate allici sentit, suspendere animum, & moderari desiderium: quia id quod per vitium quarit, vel sperat, orando, seque superando, longè nobilius & utiliùs acquirere potest.

Secunda. Quoties voluptas invitat, cogitare quod D. Bonaventura, se jam eà frutum esse: nihil enim interest verè an solà opinione tuà voluptate frutus sis: cùm nihil post eam superfit nisi dolor ex usurpata voluptate, quàm poteras in Domino quærere, & haurire de fontibus Salvatoris.

Tertia. Mortificationem & abnegationem in magnis & parvis rebus exercere: mirè enim id conducit; neque difficile erit, si pro tali creato solatio omissio, aeternum paratum esse certò sciat: imò etiam divinum nunc in hâc vitâ. Quoties enim quis propter Dei amorem aliquid relinquit, & liberalem erga divinam majestatem se ostendit, toties illam erga se liberaliorem vicissim experietur. Non vincit enim sapientiam malitia, neque liberalitatem ipsam inopia nostra. Imò omnis qui reliquerit domum, vel fratres, aut sorores, aut patrem, aut matrem, aut uxorem, aut filios, aut agros propter nomen Domini

ni, centuplum accipiet, & vitam aeternam possidebit. At quando, inquires, illud centuplum? Respondit Dominus, Amen dico vobis, accipiet centies tantum nunc in tempore hoc, domos, & fratres, & sorores, & matres, & filios, & agros, cum persecutionibus, & in saeculo futuro vitam aeternam. Hoc est quod in Canticis insinuat sponsus: Veni in hortum meum, id est, animam, messi myrrham meam, quia ad mortificationem excitaret; comedi favum cum melle meo, bibi vinum meum cum lacte meo; comedite amici, & inebriamini charissimi. Mox enim post mortificationem favum animae habuit, & vinum propinat laetificans cor hominis. Visitat animam & terram nostram, inebriat eam, & multiplicat pluvias gratiarum ut locupletet eam. *Dignatus es, &c. supra pag. 10.*

Marc. 10.

Cant. 5.

Psal. 64.

IACVLATORIÆ.

V Nam petii à Domino, hanc requiram, ut inhabitem in domo Domini omnibus diebus vita mea, ut videam voluptatem Domini, & visitem templum ejus. *Psal. 26.*
 Credo videre bona Domini, in terrâ viventium. *Ibidem.*
 Inebriabuntur ab ubertate domus tua: & torrente voluptatis tuae potabis eos. *Psal. 35.*
 Quoniam apud te est fons vita, & in lumine tuo videbimus lumen. *Ibidem.*
 Hec recordatus sum, & effudi in me animam meam, quoniam transibo in locum tabernaculi admirabilis, usque ad domum Dei. *Psal. 41.*



Rr 3

VICE.

VIGESIMÆQVINTÆ IMAGINIS

ANNOTATIO.

Inspice, & imitare virtutis N. exemplar,
quod tibi à Domino monstratum est.

Atende, Christiane, quoties Spiritus sanctus
& Christus Dominus in **A** Scripturâ præ-
clara tibi virtutum documenta dederit; enut **B**
virtus tibi offendat, quot exemplis **C** Dominus
Iesus præcesserit; **D** hunc sequere, & **E** inspice,
& fac secundum exemplar in monte monstra-
tum. audi **F** Christum in monte nos docentem,
ut se, & **G** virtutem quam ostendit, sequamur:
audi **H** Deum Patrem illud ipsum præcipientem:
fuge denique **I** peccatum, quod à Christi sequelâ,
& crucis, siue virtutis arduâ viâ te in interitum
avertit. Vnusquisque enim tentatur à concupi-
scentiâ suâ abstractus & illectus, & ad peccatum
vel horrore asperitatis, quæ in virtute est; vel a-
more voluptatis momentanea, quæ in vitio repe-
ritur, in vitatur.

CAPVT